

1132 [vor Januar 9¹⁾].[3]
98

Bischof Egbert von Münster urkundet betr. Beihilfe eines Hofs in Ostlegden.
 In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Quoniam pii patroni est,
 commissi sibi gregis utilitati in omnibus consulere, ego Egebertus, Mimigarde-
 vordensis ecclesiae licet indignus episcopus, notum facio tam praesentibus
 quam futuris Christi fidelibus, qualiter curtis amici nostri Halth in villa,
 quae vocatur Ostlegden, stabilem obtinet pactionem redimendae de curte
 sua annualiter istius curtis decimam; Lyntbertus de Hundelinchove habet
 in beneficio, quo annuente cum nostro assensu praefata curtis talem jure
 perpetuo obtinet pactionem, ut annuatim eidem Lyntberto, qui eandem
 decimam a nobis habet in beneficio, sive quicunque ipsa decima inbeneficiatus
 fuerit, in posterum ipsi quatuor solidos Monasteriensis monetae in festo sancti
 Martini persolvat et sic ab omni alia decimali exactione libera existat. Ut
 igitur eidem amico nostro Halth suisque posteris haec concessio in redimenda
 decima praefatae curtis annuatim firma stabilisque permaneat, cam privilegii
 nostri auctoritate et sigilli nostri impressione roboravimus, et eos²⁾, qui hanc
 pactionem fraudulentem cassaverint, auctoritate Petri et Pauli anathematis
 vinculo innodamus. Testes sunt hi: Henricus, Wescelinus capellani; Wol-
 marus de Weteringe, Mauricus liberi; ministeriales Arnoldus de Billerbeke,
 Bernardus de Dulmania, Everhardus, Sveterus, Bruno. Acta sunt haec anno
 dominicae incarnationis M^oC^oXXXII, indictione decima, sub papa Innocentio,
 rege Lothario.

Kopie im Barlarer Kopiar S. 95.